„ tudinibus, ac quibusvis Exemptioni-
„ bus eorum cujuscumque tenoris ex-
„ tant, & aliis in contrarium facienti-
„ bus, non obstantibus quibuscumque.
„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum
„ sub Annulo Piscatoris XII. Januarii
„ MCCCCLXXV. Pontificatus nostri
„ Anno Quinto. Ar. Trapezuntius. (a)

Tantumdem vero opis atque adjumenti (quamvis in unaquaque Civitate, ex dispositione Sum. Pont. *Eugenii Secundi* [illegible] Procuratio Diœcesanis incumbat) (*b*) nequaquam sperare licuit ex eo Præsule, qui paulo ante in Pisanum Archiepiscopatum successerat, *Francisco*: nimirum *Salviatum*, qui, cum naturali quodam instinctu, ac peculiares quasdam ob simultates, a principe hujus Gymnasii Promotore *Laurentio*, cæterisque *Mediceis* dissentiret, (*c*) ejus præclare cœptis, si non re, animo certe semper obstitit; & quod immanius est, tam pretiosæ vitæ Stamen, paulo post in Pactiana Factione, conatus est am-

(a) *Lib.* 4. *Rer. Stud. Pag.* 236.
(b) *Canon. De quibusdam* [illegible]. *Distinction.* 37.
(c) *Nicol. Valor. in Vit. Laur.* = *Nicol. Machiav. Lib.* 8. *Histor.* = *Alphons. Ciacon. de Vit. & gest. Sum. Pontif. in Sixt. IV.*

amputare. (*a*) Immortali Deo habendæ gratiæ sunt, quod ab hac Archiepiscopali Sede diutissime abfuit. (*b*) Ex qua plane absentia, ratione proventuum, in cooptatione Doctorum, contingentium ea Illi cum Pisano Canonicorum Cœtu controversia enata; super qua fuse sapienterque, de more suo, consuluit celeberrimus ejus ætatis Juris Interpres atque Consultor *Alexander Tartagnius Imolensis*, ut videre datur *in Tom. VI. Suorum Consil. Consult.* 110.

Concordia res parvas crescere, Discordia maximas dilabi, non minus eleganter, quam vere scripsit *Crispus Romana Primus in Historia*. (*c*)

Hisce tamen minime refragantibus, Academica Res, *Fautore Mediceo*, tantum in dies cœpit augmenti, ut aucto Discipulorum numero, præcavendum sibi censuerint Pisani Cives, ne occasione venationum, sibi plurimum afferretur detrimenti. Rem cursim enarro iisdem fere verbis, quibus in Publicis Provisionum Libris enunciatur.

„ In

[a] *J. Mich. Brut. Lib.6. Hist.* = *Paul. Jov. Lib. 3. Elog. in Julian. Medic.*
[b] *Spol. Scip. Ammir. Ms. in Bibliotb. Florent. Barnabit. PP.*
[c] *Sallust. in Bell. Jugurthin.*

„ In Dei Nomine Amen = Reverentemente si expone dinanzi, Voi Magnifici & Excelsi Signori, Signori Priori della Libertà del Popolo Fiorentino per parte della nostra Città di Pisa, e de Priori e Collegi di quella, come Conciosiacosa che per ricordo di più Cittadini sia stato infinite volte alloro Ufficio ricordato *come atteso alla nuova creatione dello Studio & allo assai numero de Forestieri & Nobili Huomini che già si trovono in quella & continuamente si vede moltiplicare &c.* Che però propongono alla loro approvazione una Legge che, perchè non si distrughino Colombaje Fagiani Starne Cervi Lepri &c. da quinci innanzi nella Città di Pisa, nè etiam nel Contado di quella per Spazio di Miglia dieci intorno non si possa per alcuna Persona di qualunque Stato grado e condizione &c. nè per, se nè per altri uccellare, nè fare uccellare &c. ne con Balestre Schioppolo Arco Archetti nè altri Strumenti Starne Quaglie &c. nè pigliare &c. Cavrioli Porci Salvatici &c. sotto pena pecuniaria &c. da applicarsi &c. (a)

Non-

(a) *Exempl. tal. Epist. in Lib. Deliber. Arch. Public. Pisan. sub Die* 29. *Aprilis An.* 1476. *Pag.* 102.

Nonnullos ex his, qui Lyceo nostro frequentes aderant hac. tempestate, & forsan efflagitando curandoque huic Edicto causam dederunt, aut in illud peccarunt, passim ubi ferat occasio, & præsertim in Elogio Professorum, ad quorum quodammodo Scholasticam Familiam pertinebant, alibi recensebimus. Interim nobis opportune commemorandus venit *Raphael Riarius* Hieronymi Riarij Nepos, atque ex hoc latere, *Sixto Quarto* conjunctus, (*a*) inclitoque Purpuratorum Patrum Collegio, adolescens adhuc adscriptus. An autem ingenuus Sapientiæ amor, effervescentis ingenii Juvenem, ad ediscendos Sacros Canones Pisas adduxerit, an potius insana prurigo, cominus promovendi Pactianam Conjurationem, cujus Hieronymus Patruus, in rem suam, promotor erat acerrimus, (*b*) dubium adhuc sit. Illud certum, quod eo præsente, si non auspice, occasione prandii, in suburbana

[a] *Georg. Vivian. Marches. Vit. Illustr. Foroliv. Lib.* 2. = *Pier Bayl. Dict. Historiq.*, *Critiq. Tom.* 4. *Edit. Amstel. Anno* 1740. *Pag.* 225.

(b) *Volater. Lib.* 5. *Geograph.* §. *Res Florent.* = *Brut. d. Lib.* 6. *Histor.* = *Bergom. in Supplem. Chronic.* = *Valor. in Vita Laur.* = *Jov. in Julian.*

na Laurentii Villa, ei opipare instructi, iniqua cædes ipsius *Laurentii*, & *Juliani* Fratris, Civium immortalitate dignissimorum, debuerat expediri, nisi forte fortuna, aut Divina potius Providentia, factum fuisset, ut ipsemet Julianus aliquantulum consueto pituitæ morbo laborans, illinc abesset. Quo tandem execrabili facinore, in Ecclesia Metropolitana, inter verenda Missarum solemnia, in persona Juliani sacrilege completo, in *Laurentium* autem incassum attentato, (*a*) parum abfuit, ut Eminentissimus Princeps, furore Populi justissime tumultuantis abreptus, eo mortis genere afficeretur, quo *Franciscus Salviatus* Pisanus Archipræsul, & ipse complex creditus, affectus fuit, nempe laqueo. (*b*) Exemptionem ab hac gravissima pœna acceptam referre debuit summæ auctoritati, hæroicæque clementiæ ipsius *Laurentii*; (*c*) qui

[a] *Angel. Politian. in Histor. D. Conjurat.* = *Jo. Mich. Brut. d. Lib. 6.* = *Barth. Font. in MSS. Annal. in Riccard. Biblioth.*

[b] *Nicol. Valor. ibid.* = *Mathias Palmer. de tempor. sub An.* 1478. = *Ferd. Ughel. Ital. Sacr. in Ser. Pisan. &c. Franc. Orlend. Orb. Sacr. &c. part.* 2. *lib.* 3. *Cap.* 25.

[c] *Hubert. Foliett. de Homin. Clar. in pac. in Elog. Petr.*, & *Raphael. Riar.* = *d. Jo. Mich. Brut. Lib.* 7.

qui postmodum pro sua incolumitate receptis hinc inde sinceris Amicorum congratulationibus, in hoc idem Officii genus, etiam Pisanam Urbem effusissimam vidit, ut ex sequenti brevissima Responsione innotescit, quam honestæ digressioni indulgens, publici Juris faciendam duco.

„ Magnificis Dominis Prioribus Civi-
„ tis Pisarum tamquam Patribus meis
„ honorandis. Magnifici Domini & Pa-
„ tres honorandi. El conforto delle V.
„ M. me stato gratissimo. Et ho per
„ quello conosciuto di nuovo quello sep-
„ pi sempre, cioè quanta sia l'affectione
„ di cotesta Ciptà verso le cose nostre.
„ Il caso è veramente stato horribile
„ ma dello altro siamo in buon porto.
„ Priegovi e confortovi a stare in pun-
„ to & provveduti bene a ogni cosa
„ & a voi mi Raccomando. Flor. Die
„ 28. Aprilis 1478. (*a*)

„ V. M. Filius Laurentius de Medicis.

Qui se honoris & benevolentiæ Significatione, *Filium* in hac Epistola profitetur, jam pridem Patrem, in quovis officii genere, se se iis præbuerat, ut plu-
ries

[a] *Lib. III. Delibera*t*. Dom. Prior. ab An.* 1474. *&c. Sub An. Pis.* 1479. *pag.* 291.

ries iidem Pisani Proceres ingenue fassi sunt; [*a*] maxime vero in his, quæ Studiorum caussam respiciunt; quamobrem non omiserat antea, sicuti nec postea destitit, ad Publici preces, pro *Burgundio Bartholomæi de Leulis* Nobiliss. Pisano, nec non pro honestissimo Cive *Taddæo dell' Apostolo*, officia sua interponere, prout alibi dicetur; (*b*) atque ita eximiis Viris, quà disponendo, dum inter supremos Præsides assideret, qua supplices preces porrigendo, dum eo Magistratu vacaret, Renascentem Universitatem instruere.

Horum seriem juvat hic exhibere; & primo quidem antequam Pisanum Gymnasium, ob pestem aliasque publicas calamitates, aliò abire, & quodammodo peregrinari cogeretur.

Sufficientibus ad enucleandas Theologicas Facultates Eruditis illis Viris, de quibus in antehabita Dissertatione nostra, habita mentio fuit; quorum plerosque ad eam usque diem, de qua nobis nunc sermo est, & plures subsequentes Annos, vitam protraxisse jam innotuit; & quibus modo adjicere datur *Mag Octavia-*

C *num*

(a) *D. Lib.* 3. *infer. allegand.*, & 4. *ad An.* 1490. *pag.* 155.

(b) *Ex præd. Volum.* 3. *ad An.* 1476. *Pag.* 93., & 127.

num de volaterris Ordinis S. Augustini, Decanum inter Theologos agentem, [*a*] paucissimos, in sequentibus temporibus, ad id muneris assumptos reperimus.

I. Inter hos certe enumerandus occurit quamvis cum tenui Stipendio Florenorum Viginti, *Fr. Bernardinus Bartholomæi de Cherichinis*, ex Ordine Minorum; (*b*) ex Florentina autem nobili Familia, quæ *Barduccium Francisci Cherichini*, jure optimo potest ostentare, pluribus muneribus laudabiliter functum, atque unum ex primis Florentini Studii, sub *Anno* 1396., Moderatoribus. (*c*) Omisso Patris nomine, Cognomine, atque hoc publico in Pisana Universitate Magisterio, ubi rescivissent, minime quidem reticendo, *de Minorita Bernardino* loquuntur *Antonius Possevinius* ; [*d*] *Franciscus Gonzaga*; (*e*) *Michael Pocciantius*; (*f*) *Lucas Wadingus*, (*g*) qui-

[a] *Lib.* 1. *Doctor. pag.* 46. *terg. in Doctor. mag. Basil. Mag. Gabriel. de Pisis.*

[b] *Catal. Pisan. Profess. An.* 1473. *& seq. in memor. Reformat. Florent.*

[c] *Statut. Stud. Florent. pag.* 86. *ap. Consul. Acad. pro temp.*

(d) *In Apparat. Sacr. Tom. I.*

(e) *De Orig. Seraph. Relig. Francisc. Cap. Illustr. Script.*

(f) *In Catalog. Script. Florent.*

(g) *De Scriptor. Ordin. Minor.*

quibus utique acceptum referre debemus, prælaudatum illuſtrem Virum, Theologum, atque Concionatorem ejus ætatis eximium, Opuſculum edidiſſe, in forma Dialogi conſcriptum, *de Laudibus Caſtitatis, atque Virginitatis*, Franciſco S. Petri ad Vincula, Cardinali Emeritiſſimo, poſtea, ſub *Sixti Quarti* nomine, Pontificiam Poteſtatem adepto, nuncupatum, cujus initium = *Cum ſæpe mecum Reverendiſſime Domine* &c. Finis vero = *Finit Opuſculum editum, atque completum per me Dei gratia Fratrem Bernardinum Florentinum Ordinis Minorum Anno Domini Milleſimo* CCCCLXXI. *Kalendis Auguſti. Deo gratias ſemper Amen*. Manuſcriptum hoc aſſervatur in Bibliotheca Florentina S. Crucis, cujus inſignis Cœnobii fuerat Alumnus ac Regens, Pluteo XXII. *Cod. Membran.* VII. in 4. quamvis ejus notitia ...; ſicuti ceterorum illuſtrium Codicum Mſſ. in ea Bibliotheca diliteſcentium, deſideretur in alias probatiſſimo Opere *Clariſſ. Bernardi Montfaucon* ſic inſcripto *Biblioth. Bibliothecarum Mſſ.* Fefellit in hoc, ut in pleriſque aliis, Eruditiſſimum Collectorem, Coadjutorum incuria, Exſcriptorum vel Typographorum oſcitantia; ſicuti *Pocciantium*, atque addentem *Ferrinium*, ut credere fas eſt, eadem ipſa decepit, coarctando vitæ terminum hujuſce

ſce noſtri Profeſſoris ad Annum 1408. nam, præterquamquod non ſinit in hujuſcemodi Anacroniſmum irrepere, præallegata Dialogi ſubſcriptio; prælaudatos inſuper Scriptores nequaquam latere potuerat, ante Annum 1464. *Franciſcum S. Petri ad Vincula*, cui Dialogus ille dicatur, Cardinalitiæ Dignitatis compotem nondum effectum fuiſſe. (*a*) Conſtat pariter, circa An. 1473., eumdem, actu Conventus S. Crucis Regentem, ſubſcriptione ſua calculum adjeciſſe elaboratiſſimæ Conſultationi, qua per inſignem ejuſdem Ordinis Cœnobitam *Ludovicum de la Turre*, aliosque cordatiſſimos Viros, Jus Montium Pietatis aſſertum eſt. [*b*] Probabilius itaque mortis ipſius Dies a prælaudatis *Poſſevinio*, atque *Wadingo* ſub Anno 1480. notatur; (*c*) at non omnino exacte etiam ſub prædicto Anno, cum ſub die 17. Octobris An. 1482., ipſo potiſſimum auſpice, ſit publicus in Theologia Profeſ-

[a] *Alphonſ. Ciaccon. in Paul. II.* = *Luc. Wading. in Annal. Ord. minor. Tom. XIII.* = *Ig. Hyac. Graveſon Hiſtor. Eccleſ. Tom. VI.*

[b] *Apolog. Ludov. ad P. Barot. Ep. Patav. in Biblioth. Magliab. Fiorent. in Claſ. Mſſ. 31. Cod. 19. in 4.*

[c] *D. Tom. primo Apparat.*, & *Tract. de Script. Ord. Minor.*

fessor, cum Stipendio Florenor. vigintiquinque, designatus *Mag. Petrus de Calabria ejusdem Ordinis*, atque in ipsius locum, in hac nostra Universitate, suffectus. (*a*)

II. Celebrem Litterariis Contentionibus cum *Johanne Argyropulo* Græco factiosoque Homine, Theologicis, atque Philosophicis Doctrinis Virum *Fr. Dominicum Joannis de Flandria*, Ordinis S. Dominici, in restitutum hunc Academicum Cœtum, cum honorario Flor. centum, cooptatum, & ad explicandas Philosophicas atque Theologicas Disciplinas adhibitum, opportune nunc commemorare libet. (*b*) De prælaudatis Quæstionibus cum *Argyropulo* habitis, Eruditissimi Scriptores *Quetif.*, & *Echard.* cum laude meminerunt; (*c*) Pisanam vero Cathedram ab Eo rectam, nedum *Clariss. Jo. Franciscus Foppens* Bibliothecæ Belgicæ novissimus Editor; (*d*) Sed, quod magis mirandum subit, etiam

(a) *Lib. 3. Rer. Stud. in Offic. Refor. Pag. 90.*

(b) *Ex Lib. Memor. Reform. Florent. sub An. 1473. pag. 7. &c. Lib. 2. Doct. p. 18:*

(c) *Tom. prim. Ord. Præd. pag. 894.*

(d) *Part. 1. pag. 248. Edit. Bruxell. An. 1739.*

Scriptores ejusdem Dominicanæ Familiæ prætermiserunt. Sicut & illud, circa præstantem hunc Alumnum, ab iis ignoratum aut omissum, primus omnium adnoto, *Eundem*, Septennio fere pridem in hac ipsa Universitate, Die 24. Maij egregio de se experimento facto, Theologicis Insignibus, Promotore *Michaele Cardi* de quo alibi egimus, fuisse decoratum. (*a*) E pluribus Operibus, quæ conscripsit, *Comentaria in Metaphisicam Aristot.* tantummodo commemorat *Georg. Mathias Konigius*. (*b*) Catalogum vero longe pleniorem ex prælaudatis *Quetif.*, & *Echard*, exhibemus hunc = *In XII. Lib. Metaphys. Aristotel. Secundum Exposit. Angelic. Doctor. lucidiss. atque utiliss. Quæstion.* = *Quæstion. 49. in Lib. I. Posterior.* = *XX. in secund.* = *XXIII. in Elench. sive in Opusc. S. Thom. de Fallac.* = *Quæstion. & Annot. in tres Libr. de Anim.* = *Quæstion. Quodlibetales* = *Commentar. in Lib. de Caus. Proc. In 8. Lib. Phisic. 4. de Cœl. & mund. 2. de Generat. & Corrupt.*, *& in Parv. natural.* = *Summul.* = *Supposition.* = Tractat. *de Ordin. Divinar. Personar. &c.*

Flo-

(a) *Lib. 1. Doct. Archiep. pag. 98.*
(b) *Biblioth. Vet. & Nov. in Verb. de Flandr. ex Swert.*

Floruisse Anno 1512. e *Gesneriana* accipimus; (*a*) Sed falso, cum ex suis, An. 1500. objisse in prællegatis locis tutius edoceamur. Circa quem Annum *Millesimum quingentesimum*, quo Bononiæ degens, vitam cum morte commutarit, aliud mendum, quamvis ad rem nostram extrinsecum, & facile Typographicum, in *Trithemii* Supplementis obrepsit; (*b*) non enim An. 1500., ut ibi Scriptum habetur, *Alexander VIII.*, sed VI. Ecclesiæ Gubernio præerat, ac solemne Jubilæum indixit: quod utique, ne mentiar, ante me, ex præcitatis aliisque Scriptoribus, *Claris. Fabricius in Biblioth. Med. & Infim. Ætatis* adnotavit.

III. Inter eos, quos sagax Academicorum Præfectorum cura Pisano Gymnasio instruendo illustrandoque præelegit, *Hieronymus Zanettinus Bononiensis* est, ad profitendum Jus Pontificium de sero conductus An. 1473. cum lauta Floren. 495. in Annum mercede. (*c*) Thomam Genitorem habuit conspicuo loco Bononiæ natum, & statim ac per ætatem & eruditionem decuit, Collegio Judicum, &

[a] *In Verb. Dominic. de Flandr.*
[b] *Cap. 32. in Appendic.*
[c] *Catal. Public. Profess. in Arch. Refor.*

Jurisconsultorum cum Civilium, tum Canonistarum in Patria fuit adscriptus: quo in Albo vel ab Anno 1451. reperitur. (*a*) An ex conspicua Venetiarum Urbe primævam originem duxerit, vel ei Civitati fuerit postmodum adlectus, ex eo, quod a *Francisco Sansovinio* inter Venetos Scriptores recenseatur. (*b*) non admodum solicitus inquiro; Illud ad rem præsentem adnotasse contentus, quod postquam Togatæ huic nostræ Militiæ cœpit operam dare, quamplures insignes Alumni eo Promotore, ac Duce, literariis hisce gradibus cohonestati adinveniuntur: quos inter *Taddæus dell' Apostolo*, de quo superius, *Gentilis Pauli de Magistris*, qui Lectoris Extraordinarii munus praeclare obierant; (*c*) *Antonius Alphonsi de Staitiis Canonicus Messanensis*, de cujus illustri Familia, & signanter de Alphonso Senatore late Joseph Bonfilius; (*d*) *Carolus de Maximis Romanus*, Francisci Rectoris illustris agnatus; *Jo: Gui-*

bert

(a) *Jo: Pasqual. Alidos. de Doct. Bonon. Pag.* 119. *&* *seq.* *&* *in Append. pag.* 33.

(b) *In Venet. Descript. Lib.* 13.

(c) *Monum. Acad. An.* 1474. *&* *Lib.* 2. *Doctor. Pag.* 96. *&* 100. *terg.*

(d) *In Lib. inscript. Messin. descrit. Lib.* 8.

bert Clericus Andegavensis, quem præcipue commemoratum hic volo, non tam ut insignis hujus Alumni Monumentum extet, quam ut etiam de usu *Licentiandi*, in hac quoque Universitate nostra constet; *Licentiam* siquidem postremus Hic nactus esse dicitur, sub Die nona Augusti an. 1477. (*a*)

Supervacanea prorsus aliorum Virorum Commemoratio ex eadem *Zanetinia* Gente, in Historia Litteraria præstantissimorum; veluti alterius *Hieronymi* in Rebus Medicis exercitatissimi, atque in Chimicis præsertim Scriptoris non ignobilis; (*b*) *Sigismundi* Francisci Filii in Bononiensi, Maceratensi, Senensi, Romana; addit *Antonius Masinius*, (*c*) penes quem omnis interim fides sit, *etiam in hac nostra Academia*, subsequenti Sæculo declinante, Sacrorum Canonum *Professoris eximii*, Concistorialis Advocati, atque in Firmano Episcopatu religiosissime defuncti. (*d*) Satis enim huic no-

 stro,

(a) *Dict. Lib.* 2. *Doctor. pagina* 93. & 102.

(b) *Ex Theat. Chimic. Vol.* 4. *Linden. renovat. Lib.* I. *pag.* 434. = *Jac. Manget. Tom.* 2. *part.* 2. *Lib.* 24. *Bibl. Medic.*

(c) *Bonon. Perlustr. part.* 2. *sub Ann.* 1579. *pag.* 165.

(d) *Id. Alidos. pag.* 210. & *Append. pag.* 53.

ſtro, decoris accedit & gloriæ, ex editis Operibus: quorum præcipua *de differentiis inter Jus Civile, & Canonicum*; *de Foro Conſcientiæ, & Contentioſo*; *de Indulgentiis &c.* (a) penes Juris Auctores celebratiſſima.

Solvit autem humanæ naturæ debitum Bononiæ An. 1493. Die 8. Aprilis, ut indicat brevis emortualis Epigraphe in Templo D. Dominici poſita. (b)

Hieronymo Zanetino Com. & Eq. Pont. Cæſareiq; Juris Conſ. An. MCCCCXCIII. VI. Id Apr. vita functo.

IV. Eadem Bononienſis Urbs, nullo non tempore, præcellentium Ingeniorum Genitrix fœcundiſſima; non tam in laudato nuper *Jannettinio*, renaſcenti Lyceo noſtro ſuppetias tulit, quam in *Mag. Floriano*, eodem Anno 1473. ab Excelſa Florentina Republica, huc ad profitendos ſacros Canones evocato. (c) E pluribus hu-

[a] *Burcard. Gottelf. Struv. in Biblioth. Jur. Select. Cap. 6. §. 120. ex prim. Tom. Tract. Diverſ.* = *Joan. Anton. Bumald. in Minerv. Bonon. ex Jo: Volphg. & ex Tom. 3. dd. Tract.* = *Peregr. Ant. Orland. de Doct. Bon.* = *Jo: Bapt. Zilet. in Lib. Indic. Legal. Auguſt. Fontan. in Bibl. Leg. &c.*

[b] *Leandr. Albert. in Ital.* = *D. Alidoſ. de Doct. Bonon. &c.*

(c) *Memor. Refor. ſub d. An.*

hujusce nominis, quos parce, uti solet, recenset prælaudatus *Alidosius*, *(a)* Is, cujus ætati, & instituto, Pisanum hoc Magisterium aptetur *Florianus Lucæ de Dulphis* est; Matre autem *Johanna Grugnensi* natus spectatissima æque Fœmina; *(b)* quamobrem non ille est, hujus quidem ætatis, & alioquin admodum illustris *de S. Petro* dictus; *(c)* multoque minus alter XIV. & XVII. Sæculi celebris & ipse Jurisconsultus. *(d)* Avitam Hic noster sanguinis claritatem, Comitiva Dignitate spectabiliorem quoque redditam, in dies adauxit, ac sibi sua Virtute, ad majora viam patefecit; Theologica quidem Facultate, ad duplicem Canonicatum; Jurisprudentia autem, quæ magis ad nos pertinet, ad *Bononiensem*, *Pisanamque Sacrorum Canonum Lecturam*:

(a) *Ibid. pag.* 81. *&c. & in Appendice pag.* 25. *&c.*

(b) *Pomp. Cæsar. Dulph. in Chronolog. Nobil. Famil. Bonon. Pag.* 277. = *Idem Alidos. part.* 1. *pag.* 81. *& in Appendice pag.* 25.

(c) *Præcit. Alidos. Pag* 78. 79. *&* 25. *App.*

(d) *Jc: An. Bumald. in Biblioth. Bonon. ad An.* 1623. = *D. Alidos. in Appendice pag.* 28.

in quarum postrema, ab Anno prædicto Conductionis suæ 1473. quo decreta primum 235. Floren. ei Pensio fuit, per plures Annos sese, summa cum laude, exercuit; (*a*) Politiæ vero Studiis, quibus etiam inclaruerat, inter selectiores Aulicos *Francisci IV. Mantuæ Ducis*, ad supremum Consiliarii Munus: in quo quidem officio, Sapientia, Fide & Integritate talem se gessit, ut *Gonzagæ Familiæ*, cognomento tamen tenus, meruerit inseri, propriumque avitum Stemma novis luminibus condecorari, ut præ cæteris, honorificum Ei conflatum Numisma detegit. Bononiæ degens adversus *Valentinum Ducem* publice peroravit; quæ nervosa *Declamatio* inter MSS. *Fr. Aleandri Alberti* asservata perhibetur. (*b*)

Ex ceteris ipsius Elucubrationibus, brevis *Epistola* ad Rom. Pontificem *Julium Secundum* conscripta, cum tenore acerrimæ *Ejusdem* responsionis, vel externam corporis deformitatem *Dulphio* objicientis, lucem aspexit in *VI. Repet. Canonic. Tomo*. (*c*) Molestam Pontifici extitisse

(a) *Dict. Memor. Refor. sub. d. An. & rursus. pag. 23. terg.*
(b) *D. Pomp. Cæs. Dulph. in Chron. &c.*
(c) *In Repet. Petr. Andr. Gammar. in Extrav.*

titisse præmemoratam Epistolam; utilem vero Ecclesiasticæ Disciplinæ, utpote motivum prædicto Romano Pontifici districtius inhibendi Simoniacas Summorum Pontificum Electiones, testatur eorum æqualis, & Extravagantis illius, quæ super hac materia prodiit, accuratus Interpres *Petrus Andreas Gammarus* Bononiensis, Sacri Palatii Apostolici Auditor; testis etiam *Pompejus Cæsar Dulphius in Chronico Nobilium Familiarum Bononiensium* pluries in notis allegatus: a quo pariter accepimus Decanatu in S. Petronii Ecclesia fundato, ibi, post mortem An. 1506. sequutam in Domino quievisse; ejusdemque Monumentum in Ecclesia S. Salvatoris positum, nunc pristino loco motum, extare inter Aram Sacramento, Divoque Josepho dicatam; cujus non infimum decus hujus *Pisani Magisterii*, ab eodem ceterisque, qui de *Floriano nostro* scripserunt, *Butio*, *Bumaldio*, *Casio*, *Alberto*, *Alidosio* mirum fuisse prætermissum. Inscriptionem vero præd. Monumento appositam curæ debemus relati nuperrime Auctoris, (a) at-

---

Extrav. Julii Secundi de Simon. Pap. Elect. in VI. Repet. Volum. Edict. Juntiar. An. 1587. *Pag.* 42. *&c.*

(*a*) atque hujusmodi est: *Floriano Dulpho Gonzagæ Lucæ F. Jur. Consul. Theologoque; insigni Decanatus dignitate, quam in Aede Divi Petronii dotavit primo functo, Franc. & Ant. Dulphi, ob fratris B. M. piam memoriam Statuam, Divo autem Thomæ Cantuariensi ob religionem ædiculam pos. An. MDVIII.*

V. Reparando Gymnasio opem quoque tulit Nobilis Florentinus Civis *Antonius Cocchi*, Donati Jurisconsulti præstantissimi Filius. (*b*) A Die, qua Legum Doctor, in hoc eodem Pisano Lyceo renunciatus fuit, a Die nempe 22. Octobris 1473. more Florentino; Stylo autem Pisano 1474. [*c*] ad Diem, qua publicus Professor designatus, cœpit huic Togatæ Militiæ Tyro deservire, pauci dies effluxisse deprehenduntur: quod sane indicio nobis est præcocis Virtutis, quæ ipsius ætatem antevertebat.

Ut erat Clericali Vitæ mancipatus, Sacrorum Canonum Professio ejusdem Vitæ Instituto aptior, & opportunior visa est; atque Extraordinariæ primum Ca-

(a) *Jo: Nicol. Pasqual. Alidos. Part. I pag.* 81.

(b) *Memor. Reform. Florent. sub Anno* 1473.

(c) *Archiep. Lib.* 2. *Doctor. pag.* 34.

Cathedræ fuit admotus; a qua subinde, & a tenujori Stipendio Florenorum octuaginta, ad Ordinariam, & ad opulentius honorarium 375. evectus est. [a] Non destitit interim ejus opera, ac minlsterio uti, in Rebus ad ejus Jurisdictionem pertinentibus, *Franciscus Salviatus* Pisanus Archiepiscopus, sub quo non semel, in decernendis Doctorum Hominum Insignibus, Ejus vices obiisse, ex publicis Monumentis innotescit. [b] Immo, translato Pistorium Gymnasio, occasione Pestis, & vacante Pisano Archiepiscopatu, ob notam Francisci Salviati internecionem, etiam Pisani Capituli vices gessisse, ex secundo Libro *Florentinarum Reformationum*, *æque perspicue* constat. *Philippo Decio*, Professorum Malleo, semel atque iterum Collega datus, gravitatem, quæ honesto cuilibet Concertatori convenit juxtam monitum Imperatorum Valent. & Valentin. ad Olibrium Præfect. Urb. [c] & quæ Ecclesiasticum Virum maxime decet, aliquando

(a) *Rotul. An. 1486. inter Miscell. Summar. & dict. Memor. in Arch. Refor.*

(b) *Lib. 2. Doctor. in Archiv. pub. Archiep. Pisar. pag. 3. & 4.*

(c) *In L. Quisquis 6. §. ante omnia Cod. de Postulan.*

do coactus exuere, & in Circularibus Disputationibus, injuriosis schematibus par pari referre auditus est; qua de re acriter a Florentinis Gymnasiarchis reprehensus fuit: [a] Sicuti e converso, ob excellentem Jurisperitiam summamque dexteritatem, ad componendas differentias quasdam inter Communitatem Bargæ, & Gragniani, circa Fines exortas, sub An. 1481. honorifice deputatus invenitur. [b] De Etruria præclare meritus, in hoc publico legendi munere, exercendoque etiam Florentiæ, Consulentis Officio; imo Examinatoris in solemni Examine celeberrimorum quorumdam Virorum, occasione promotionis ad Litterarias Infulas, ut *Angeli Benedicti de Ambrosinis de Monte Politiano*; *Francisci Dominici de Sirigattis de Florentia &c.* [c] vitam denique cum morte commutavit; nec quicquam ab eo typis editum observare da-

(a) *D. Lib.* 2. *Rer. Stud. in Arch. Reform. pag.* 32. = *Guid. Panc. Lib.* 2. *Cap.* 135. *n.* 216. *&c. Franc. Boez. in Vit. Philip. Dec.*

(b) *D. Lib.* 2. *Pag.* 72. *in Archiv. Reform. &c.*

(c) *Lib.* 2. *Collect. Ser. Gabriel. de Vacond. in Archiv. Archiep. Florent. sub An.* 1485.

datum: quam literariam Operum jacturam, etiam in *Donato Chocchio* hujus Genitore, Eruditi deplorant; [*a*] utpote Viro primis Patriæ muneribus, cum Florentiæ, tum foris, egregie functo; in Philosophicis facultatibus, & potissimum in Jurisprudentia adeo versato, ut sibi *Verini* Calamo, tale promeritus sit Elogium.

„ Quantum Sulpitio debent Civilia Jura,
„ Et quantum, Muti Scevola docte, tibi;
„ Tantum Donato Cochio debere fatentur;
„ Civilis vere Juris amator eras.
„ Tu quoque Philosophos noras, & Curia semper
„ Consilio, in dubiis casibus, usa tuo est.

VI. Inter ceteros Juris Antistites, qui instruendo reserato nuper Athenæo utiliter adhibiti sunt, ab externis Academicarum Rerum Conditoribus, *Albertum Bellum* Perusinum Civem & Jurisconsultum, communiter omissum mirari subit, accensendum autem, & quidem Ordinariorum

---

(a) *Julius Negr. ap. Dominic. M. Man. Tom. X. Sigill. pag.* 46. *&c.*

riorum Canonistarum numero, cum Salario Florenorum ducentorum sibi constituto, ex irrefragabilibus Monumentis Anni 1473. erudimur. (*a*) Patriam Academiam, peracto feliciter Studiorum curriculo, atque ibidem receptis Jurisconsultorum Insignibus, decorasse memoriæ prodidit *Oldoinus*; (*b*) Sicuti Ferrariense Gymnasium, una cum celeberrimis Viris *Ludovico Bolognitio*, *Dominico a Massa*, *Alberto de Laudis*, *Johanne Sadoleto*, in ipsius *Jo. Sadoleti* Elogio, *Guid. Pancirol.* obiter adnotavit. (*c*) Patet id ipsum ex prælaudati *Bolognini* asserto, qui subsidiariam, ut etiam ea tempestate ad conciliandam Scripturæ majorem fidem fieri consuevit, *Belli* ad probationem aucupatus, in fine solemnis Consultationis adversus *Andream Barbatiam* elaboratæ, cum prædicta denominatione *Ferrariensis Lectoris*, *ejusdem*

[a] *Memor. Canon. Professor. in Archiv. Reformat. Florent. sub d. An.* 1473. *pag.* 2. = *Lib.* II. *Doct. Archiep. Pis. Arch. pag.* 44., & 65.

[b] *In Athen. August. ex Alex. Balestrin. in Op. de Academ. Perusin. &c.*

[c] *De Clar. LL. Interpret. Lib.* 2. *Cap.* 129. *num.* 199.

dem Alberti Belli nomen apponit. [*a*] De ipso tamquam insigni J. C. meminit etiam *M. Anton. Peregrinus in Aureo Tractatu de Fideicommissis* ; (*b*) & facile idem *Bellus* est, quem in serie *Consulentium*, & inter Scriptores in *Materia Fideicommissorum*, praetermisso *Alberti* nomine, enumerat *Augustinus Fontana*, (*c*) qui alibi de *Ludovico Bello* explicite mentionem habet. (*d*) De praeasserta Ferrariensi Lectura debemus etiam illustre testimonium *Ferranti Borsettio* (*e*) qui breve hoc Elogium concludit, addita etiam non spernenda hac notitia, quod legata Librorum suorum supellectile, insigni Ferrariensium Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Capitulo, postremum vitae suae diem clausit An. 1482. die 23. Febr. *Anniversariorum Kalendario*, quo nihil certius, in id allegato.

VII. *Nellia Gens*, ex latere *Bartholomaei Ser Nelli*, quae paulo post initium seculi

(a) *Apud Alex. Tartagn. Lib.* 4. *Cons.* 53.

(b) *Artic.* 25. *n.* 23.

(c) *Biblioth. Legal. P.* 3. §. 25. *& P. IV. in Verb. Fideicom.*

(d) *Id. Font. Syllab. XIV.*

(e) *Histor. Alm. Ferrar. Gymnas. P.* 2. *Lib.* 1. *pag.* 67.

ſeculi Decimi quinti, quod modo Academica perſcrutatione percurrimus, Literario Magiſtratui idoneum Officialem, ut perhibent, ideſt Curatorem Studii; produxerat, nimirum *Antonium*; (*a*) Eadem, ipſomet ſeculo declinante, illuſtrem Juris Pontificii Profeſſorem Piſanæ Univerſitati ſuppeditavit; Anno videlicet 1473. (*b*) Is mehercle fuit *Baptiſta* Bartholomæi Filius ad Ordinariam Veſpertinam Cathedram cum Florenis 150. ſtatim promotus, cui jam pridem, ad omnem honeſtatem, & gloriam præluxiſſe Genitorem, præcipuis Florentinæ Reipublicæ muneribus egregie functum, Patria Monumenta teſtantur. (*c*) Juniorem *Franciſcum* ex Johanne Stephani Nelli progenitum, poſt paucos deinde Annos, Scholaſticus idem noſter Cœtus Prati, Piſis, Florentiæ, prout huc, aut illuc jactata Univerſitas fuit, Inſtitutiones primum Cæſareas; dein Jus Canonicum enucleantem, cum plauſu excepit; (*d*) & omnis Etruſca Curia Litibus op-

(a) *Lib. Extract. Florent. ad An.* 1415.
(b) *Memor. Reform. ad An.* 1473. *&c.*
(c) *Spol. Petr. Ant. de Ancis. Lib.* 2. *in Arch. Secr. S. R. C.*
(d) *Rotul. Univ. An.* 1495. *int. miſcell. Summar.*, *&* *in memor. Reform. ſub. An.* 1504.

opportune patrocinantem. Spectat ad anteactum proxime Seculum *Julius Nellius*, & ipse Consulens Clarissimus, (*a*) de quo Superioribusque alibi prolixior sermo.

VIII. E pluribus Senensis *Soccinæ* Familiæ præstantissimis ingenio, Doctrinaque Viris; atque e duobus, qui Pisanam Academiam *Profitendo* celebriorem reddidere, spectat potissimum ad tempora felicis ejus Instaurationis per *Laurentium Mediceum* factæ *Bartholomæus ex Mariano Seniore*, Jurisconsultissimo Viro, Oratore etiam, ac Poeta, ut ipsum honorifice nuncupat *Æneas Sylvius Piccolomineus*, (*b*) atque ex *Nicolâ Venturinia*, ornatissima Fœmina, hujus lucis usura compos redditus VIII. Kalendas Aprilis Anno MCCCCXXXVI. (c)

Incidit is in ea tempora, quibus paulatim Jurisprudentia caliginosam illam barbariem incipiebat exuere, sub qua diutissime jacuerat; & Amicum *Angelum Politianum* sortitus, splendido ipsius exemplo, gustum aliquem in Romana Hi-

[a] *Jul. negr. Catal. script. Florent.*
(b) *Lib. I. Epistolar. Epist. 39.*
(c) *Guid. Panzirol. de Clar. Leg. Interpret. Lib. 2. Cap. 126. num. 194. in princ.*

Historia, Græca, Latinaque Litteratura, adeptus est. Non adeo tamen profecit, ut subsidiarium ipsius *Politiani* Calamum adsciscere opus non habuerit ad exiguas Oratiunculas contexendas, quas Patriæ suæ Legatus ad Summum Pontificem *Alexandrum Sextum*, & *Augustinum Barbaricum* Venetæ Reip. Principem, magniloque habere meditabatur; quas tamen memoriæ lapsu utrobique habuit infeliciter. (*a*) In Jurisprudentia autem adeo excelluit, ut inter Advocatos Consistoriales merito relatus fuerit; (*b*) & apud ipsum *Politianum*, tamquam ætatis suæ *Papinianus* audiat; [*c*] sicuti e converso penes cultiores Juris Interpretes, quos inter reponere juvat *Hieronymum Magium*, in Humanioribus Litteris, non audiat nisi tamquam Jnfans, ac Semibarbarus. (*d*) Hauserat eam Juris Disciplinam, quam ex se postmodum, perspi-

(a) *Id. Guid. Panzirol. in fin.*

(b) *Mant. Epitom. Viror. Illustr. = Isidor. Ugurgier. Azolin. Pomp. Senens. part.* I. *tit.* 16. = *Id. Soccin. Tom.* 2 *Consil.* 283.

[c] *Lib. V. Epistol. Epist. ult. = Herman. Conring. Antiquit. Academic. Tom. V. in Tract. de script. Sæcul. XV. in not.*

[d] *Lib. Secund. Miscell. Cap. XI.*

ſpicax alioquin Vir, atque ſubtilis, naviter excoluit, *a Thoma, neſcio quo Senenſi*, Scripſit Mantua: (*a*) cujus cognomen ſupplendo, Pancirolus ex ipſo *Soccino, a Thoma Doctio*, reponit; (*b*) nec non a Patre ſuo *Mariano*, quod quidem *Senis* evenit, ubi ſtatim depoſito Juris tyrocinio, Inſtitutiones, Extraordinariam, atque Ordinariam cœpit enucleare; [*c*] quam etiam ibidem, ætate provectus edocuit. Profecerat quoque plurimum ſub *Alexandro Tartagno*, & *Andrea Barbatio* Bononiæ, ubi pariter bis cum laude profeſſus eſt. (*d.*) Completo autem Senenſis Magiſterii tempore, *in Piſana Academia* Canonicum Jus, Matutinus Interpres Anno 1473. nec multo poſt Jus Cæſareum, cum opulento Stipendio Florenorum octingentorum expoſuit. (*e*) Docuit & ipſe *Ferrariæ* per qua-

[a] *Id. Marc. Mant. in Epitom. n.* 57.

[b] *Dict. Lib.* 2. *Cap.* 91. *ex Volum.* 1. *Conſil.* 150. *ejuſd. Soccin.*

[c] *Præd. Bart. Soccin. in Rubr. Digeſt. ad L. Falcid.*

[d] *Id. Soccin. in L. Certi nona Dig. de Reb. Credit. n.* 25. = *Petr. Bælius Lib.* 4. *Diction. Hiſtoric. in Verb. Marianus not. D.* = *Aleand. Albert. in Ital. &c.*

[e] *Memor. Reform. Florentinar. ſub d. An.* 1473. *&c.* = *Id. Soccin. in L. Un. Cod. de Sententiis, quæ pro eo &c. in fin*

quadriennium ; (*a*) & ex *Civitate Bononiensi* profectus, etiam *Patavii* circa Annum 1498., (*b*) post plurium Annorum curriculum, quos in hoc laudatissimo munere apud nos insumpserat : *Pisæ* enim, absit verbis invidia, Theatrum extitere longe quidem amplius, atque augustius, in quo sese ejus Virtus exercuerit. Hic suis cum ingenti æmulo *Jasone* Circularibus Congressibus adstantem Magnum *Laurentium* meruit habere. (*c*) Hic insignem auditorem habuit *Jo. Franciscum de Poliasca Spediensem*, qui quædam singularia, ex ipsius ore Pisis excerpta, Publici Juris fecit, ut in fine ejus Commentariorum *ad Legem Stipulationum secundam* §. *Et harum ff. de Verb. Obligat.* adnotat. Hic sub Anno 1474. sibi decori duxit *Julianus* Francisci *Guizzelmi Pratensis*, in Jure Canonico Doctor jam Bononiæ renunciatus, ad Literarias Insulas, promotore

(a) *Ferrant. Borsett. Histor. Ferrar. Lib. I. pag.* 55. = *Præd. Soccin. Lib.* 3. *Consil.* 46. *n.* 2.

(b) *Raph. Volaterr. Lib.* 21. *Anthrop. in Commentar. Urban. in fin.* = *Addent. ad Leg. I. Dig. de acquirend. vel amit. Posses.* = *Id Soccin. Lib.* 3. *Cons.* 61.

(c) *Dict. Pier. Bayl. præall. Loc. ex Guid. Panzirol. ibid.*

tore *Soccino* evehi . (*a*) Hic *Ludovicum Nicolai Taviani Pistoriensem* ; hic *Colam Luciani Siculum*, qui Lectoris extraordinarii Munus Festis Diebus objerant . (*b*) Hic *Gregorium Jacobi Ciampanti Lucensem*, & ipsum Juris Professorem in hac nostra Academia meritissimum (*c*) Hic *Guictonem Octaviani Arretinum* non multo post Pisana pariter Cathedra potitum, sub Anno 1476. iisdem Insignibus decoravit . (*d*) Eodem similiter Anno, die vero 28. Novembris *Antonium Pactium Equitis Petri Filium*, *Episcopum Sarniensem* ; (*e*) Sub die autem vigesima secunda Maii, *Antonium de Octaviano de S. Maria Montis Ferrati*, *Pisani Gymnasii Prorectorem* ; (*f*) Sicuti Anno 1478. alium ipsius Academiæ Vicerectorem benemerentissimum *Carolum Equitis* Phi-

(a) *Lib.* 2. *Doctor. in Archiv. Gener. Archiepisc. Pisan. Pag.* 31.

(b) *Dict. Lib.* 2. *pag.* 67. *&* 102. *terg.*

(c) *Ibid. pag.* 106. *& Memor. Reform. Florent. sub An.* 1476.

(d) *in prealleg. Lib.* 2. *pag.* 98. *terg.*

(e) *Ibid. pag. juxta recent. enumerat. prim.* = *Ferd. Ughell. Ital. Sacr. Tom.* 2. *in Serie Sarnens. n.* 24.

(f) *Pag.* 86. *d. Lib.* 2. *Doctor.* , *& Catal. Rector. Univ. in Miscell. Summar. &c.*

Philippi de Gabrielis de Augubio ad eundem honorificentissimum Gradum promovit, [*a*] ut quamplures alios insignes ejus Auditores, Silentio prætermittam. [b] Cum autem ea sit humanæ naturæ conditio, ut semper prosperis adversa misceantur, quamobrem, etiam in hoc sensu, nimis verum sit, quod *apud Plutarch.* Timesiæ ab Oraculo responsum fuit: [*c*] *Quære examina Apum, Vesparum & habebis abunde:* dissimulare minime possum, tempore Pisanæ Conductionis multa etiam *Soccinum* sinistra perpessum. Præter acerrimam etenim ipsius *Jasonis*, & potissimum infensissimi *Philippi Decii* æmulationem, urgente peste Anni. 1479. e Pisana Urbe in Pistoriensem, lares Ei, non sine dispendio atque incommodo, transferendi fuerunt, iidemque, metu hoc cessante, Pisas rursus asportandi.

Cumque exemplo forsan aliorum Collegarum, qui nondum expleto Locatio-nis

(a) *In d. Lib.2. Pag.* 107. *in Tabular. Pisan. Archiep.*

(b) *Dict. Lib.* 2. *Archiep. Public. Archiv. ad An.* 1484. *pag.* 199. *ubi de Bartholom. Rigoglio Florent. a Soccin. promoto, & pag.* 202. *ubi de Doctor. Laz. Arnolfin. Lucens.*

(c) *In Opusc. de Amicor. multit. &c.*

nis tempore, Pisis impune discesserant, pro Patavina Cathedra, Venetis intempestive fidem suam obstrinxisset; & educta jam occulte in cadis Vinariis, Librorum aliarumque pretiosarum rerum supellectile, & Ipse clam abire tentasset, detectus, & ab Armata Familia captus & Florentino carceri mancipatus, quem vulgo nuncupant *Delle Stinche*, (*a*) inter has angustias per spatium circiter duorum Mensium cum dimidio, a die videlicet 26. Decembris Anno 1489. usque ad diem 8. Martii, enitendum *Soccinio* fuit, proditis in hanc rem scriptis, quæ Autographa in Florentino Reformationum Tabulario asservantur, (*b*) ut se a præsumpto Stellionatus crimine defenderet, suæque existimationi atque etiam vitæ consuleret. Quæsita quidem hæc, at non iccirco minus lacrymanda fuit ærumna: cui demum *Soccinium* nostrum subtraxit æquissimum *Laurentii Medicis* arbitrium, qui pro ipsius morte, tamquam rei læsæ Majestatis, Suffragium ferentibus, si non totidem verbis, re tamen, & exitu *Excellentem in Arte mori non debere*, reposuit; & nedum ab-

 sol-

(a) *Nicol. Valor. in Vit. Laurent. Med. c.*
(b) *Baccit. Lib. Memor. Pag.* 30.

solvit, sed absolutum, cum stipendio mille Ducatorum in singulos annos pro triennio, cum assensu ceterorum Collegarum reconduxit. (*a*) Mortuo etiam *Laurentio* sub *Petro* ejus Filio *Soccinio* gratificandum censuere, solemni hoc, & a nemine, quod sciam, hactenus commemorato, multoque minus in lucem edito Decreto.

„ Dubitavit nemo umquam vere dici
„ Jurisconsultos Oraculum esse totius Ci-
„ vitatis: Ipsi enim in dubiis responsa
„ tradunt, ut viris Enigmata solvant;
„ hinc est, quod Præfecti Gymnasiorum
„ in primis hujus Disciplinæ Excellentes
„ Viros omni Studio perquisiverunt, ut
„ ejus veram Doctrinam Discipulis tra-
„ derent; idque præ ceteris Pisani Gy-
„ mnasii Præfecti Studuerunt conquiren-
„ tes undique per Italiam, si quos ha-
„ bere possent, qui in eo genere Disci-
„ plinæ cæteris præstarent; nec frustra
„ id intenderunt. Sed quia non satis
„ est hujusmodi Viros undique accersitos
„ habere nisi conserventur: quod fieri
„ nequit, nisi præmiis invitentur, præ-
„ cipue cum a multis in dies sollicisten-
„ tur; præsertim *D. Bartholomæus So-*
zinus

(a) *Pancirol. præcit. Lib. Capit.*, & *num.*

„ *zinus* Senensis Civis, Pontificii, at-
„ que Cæsarei Juris Doctor præclarissi-
„ mus, qui jam Annos circiter XX. in
„ Pisano Gymnasio summa cum laude,
„ & Discipulorum gratia, & utilitate
„ Jura acutissime, ac dilucidissime inter-
„ pretatus est. Idcircò Magnifici, &
„ Excelsi Dom. Dom. Prior. Libert.,
„ & Vexillif. Justit. Pop. Florent. mo-
„ ti præcipuè hortatu Præfectorum dicti
„ Gymnasii, Volentes hunc Virum ali-
„ quo munere in amoris signum allice-
„ re, & invitare, ut quemadmodum
„ jam se facturum spopondit Magnifico
„ viro *Petro Medici* Concivi nostro, ita
„ perseveret in Pisano Gymnasio Jura
„ enodare, quoadusque idem *Petrus* vo-
„ luerit. Habita primò super infrascri-
„ ptis omnibus & singulis *Die* 20. *Men-*
„ *sis Novembris Indict.* 12. *Anno* 1493.
„ Deliberatione solemni &c. providerunt
„ &c. quod Præfecti Studii Florentini &
„ Pisani virtute præsentis Provisionis ha-
„ beant & habere intelligantur plenissi-
„ mam, & liberam facultatem expenden-
„ di de pecuniis assignamentorum d.
„ Studii usque in Florenos Quadringen-
„ gentos Largos pro solutione Bonorum
„ Immobilium emendorum, seu quovis
„ alio Alienationis titulo acquirendorum
„ in Civitate, vel Comitatu Pisarum,
„ ut perveniant in d. *Dom. Bartholo-*

„ *mæum Sozzinum* Jure proprietatis, & Do-
„ minii in perpetuum &c.; & pro su-
„ pradicta Emptione &c. nulla Gabella
„ debeatur &c. (*a*)

Benefactorum tamen immemor; injuriam vero Carceris memori sub pectore servans, Auctor Pisanis fuisse creditur, ut Florentinorum Jugum excuterent, seque *Carolo Octavo Francorum Regi* dederent. (*b*)

Quandiu vero ipsorum Famulatui subditus fuit, & Imperio paruit, assentatorio calamo pro iisdem usus est; usque adeo ut appellando ad futurum Concilium, ab impetitæ Excommunicationis vinculo, immunes eos esse senserit, cum in *Cardinalem Riarum* vindices manus injicere conati sunt, & in Archiepiscopum Pisanum *Franciscum Salviatum*, de facto injecerunt, & indefensum laqueo suspendi mandarunt. (*c*) Neque solum, ut tempori publicisque circumstantiis inserviret, sed ut privato lucro con-

(a) *In. Volum. Provision. An.* 1493. *pag.* 86. *in Archiv. Reform. Florent.*

[b] *Prælaudat. Ugurgier. Pomp. Senes. part.* 1. *tit.* 16. *num. Margin.* 64.

[c] *Scip. Ammirat. Histor. Florent. Part.* 2. *Lib.* 24. *sub An.* 1478. = *Soccin. inter Consil. Curt. Senior.* 20. & 21.

fuleret, verfatilem Eloquentiam, & Doctrinam adhibuit: neque enim Patrimonium haud exiguum; Academica Stipendia fatis ampla; Forenfia Honoraria alendæ fimul numerofæ Familiæ ex *Ludovica Orlandinia* fufceptæ, alendifque vitiis, & præcipue lufui alearum, inferviebant, [*a*] quod ut ei exprobraret *Decius* alioquin ejus Æmulus, turpis lucri gratia, pro duobus Collitigantibus, uno eodemque tempore, non fine prævaricationis nota, confuluiffe memoriæ prodidit. (*b*)

In proverbium quoque abiit *Soccini Confilium*, quo adverfus Debitorem, certum, indubitatumque creditum inficiantem, *Pugione utendum*, refpondit (*c*) quod tamen Ei folum ore tenus, & per jocum excidiffe crediderim.

Videtur tamen liberioris locutionis fuæ, nimiæque aviditatis, Æquiffimo Judici Deo pœnas perfolviffe; obftructo enim ex nimia vifcofitate humorum, vocis Organo, & Linguæ Paralyfi affectus per triennium Libero loquelæ ufu ca-

(a) *Panzirol., & communiter Biograph in ipf. Vit.*

(b) *in L. Precibus* 2. *Codic. de Impub. & al. fubftit. n.* 4.

[c] *Id. Panzirol. ibid. &c.*

caruit, (*a*) exaustisque fere omnibus Fortunæ Bonis, Descendentes suos, potius avitæ nobilitatis, & Literariæ Gloriæ, quam partæ ab eo substantiæ, heredes reliquit. Anno MDVII. qui finis ei vivendi fuit; non An. 1457. ut penes *Catellianum Cottam*, errore, ut reor, Impressorum excidit. [*b*] Corporeæ ejus exuviæ, in Templo Fratrum Observantiæ, in Sepulcro Majorum, publica Liberalitate decenter tumulatæ sunt. [*c*] Circumferuntur pluries edita, & secundo cum *Jacobi Menochii*, aliorumque adnotationibus, *Commentaria Ipsius in præcipuas Digestorum, & Codicis Leges*, utique docta ac peracuta; e quibus tamen *Librum Regularum* pro germano *Socinii* partu, non agnoscit prælaudatus *Panciroliius*; sicuti nec agnoscunt qui eidem Collectioni præfantur, freti assertione, qua vix nulla tutior, *Mariani Junioris in Conf.* 24., *&*. 74. *Lib. tertii*. *Forensia* pariter ejusdem *Opera* omnium judicio, Subtilissima, primo separatim, deinde Consultationibus juncta *Mariani* Se-

(a) *Petr. Bæl. ubi supr. ex eod. Pancirol. ibid.*

(b) *In Recens. Jur. Interpr.*, *& Doct. Pag.* 529. *Edit.* Lipsiens. *An.* 1721.

(c) *In præall. Elog. G. P. in fin.*

Senioris ejus Patris, non semel publicam lucem aspexerunt; recusa postremo cum pluribus, nec spernendis Annotationibus *Hieronymi Magii J. C. Anglarensis* Equitis Divi Marci, nec non *Francisci Pepii Nobilis J. C. Florentini*, aucta, & illustrata, de quo postremo, utpote illustri hujus nostræ Academiæ Professore; sicut & de *Mariano Soccino Juniore*, in serie eorum, qui posteriorem hujus seculi, prioremque subsequentis, ornarunt, agemus opportunius.

IX. *Io: Franciscus de Caponsacchis*, Familia cum Arretii, tum Florentiæ apprime clara, [*a*] sub eodem Anno 1473., idoneus quam maxime habitus est ad Pisani Lycei famam, Canonistæ munus obeundo, in dies magis magisque promovendam; Eique, prout ea temporum conditio ferebat, non exiguum Florenorum centum Stipendium ab initio constitutum. (*b*) *Caponsaccorum stirpem Æneadum Sanguinem* honorificentissime nuncupat priscus Poeta noster *Hugolinus Verinius*; [*c*] & Fesulanæ No-

(a) *Eugen. Gamurrin. Tom. IV. Familiar. &c.* = *Scip. Ammir. de Famil. Florent. pag.* 178. = *P. Farull. Annal. Aret. pag.* 348.

(b) *D. Lib. Memor. in Arch. Reformat. in Ser. Canonist.*

(c) *Lib.* 3. *de Illustrat. Urb. Florent. Edit.* 2. *Pag.* 55.

Nobilitatis decus ei minime dubitat adſerere antiquior Hiſtoricus *Ricordanus Maleſpinius*. [*a*] Illud utique minime inficiandum videtur, utpote recentiorum tempora, ac memoriam non longe excedens, & noſtrorum Archivorum Monumentis ſuperinnixum *Caponſacchiam Familiam*, Tertio decimo Seculo elabente, *Caſtra cum Juriſdictione in Homines, & Colonos poſſediſſe, & Equeſtri præfulſiſſe Dignitate*; (*b*) ſicuti ea, de qua modo ſcribimus ætate, inter Priores Arretinæ Civitatis pluries aſſediſſe. [*c*] Ad rem noſtram quod attinet, ornavit hanc Spartam cum laudato ſuperius, atque alibi etiam laudando *Baptiſta Nellio* Nobili Florentino, & judicio præſtantiſſimorum Virorum, eximio Juriſperito, [*d*] aliiſque clariſſimis ; Pro-

(a) *Hiſtor. Florent. Cap. 60. & 108. & ſus. ſuper. Cap. 33., & 105.*

[b] *Arch. Mont. Olivet. Flor. inter Rog. Salimb. Maſcarel. Saccul. B. num. 5. = Arch. Reform. inter Inſtrum. Comit. Guid. n. 12. relat. a Gamurr. d. Vol. 4. Pag. 158. &c.*

(c) *Tabular. Aret. Civit. Volum. Z. ex d. Gamurr. d. Tom., & pag.*

(d) *Vid. Conſil. Soccin. Volum. prim. Conſil. 150. in fin.*